

1492 pœna proposita ab Rhytymna Cretæ oppido diffugientibus. Atque hoc omnino Decemviri gravioris animadversio-
nis esse judicium voluerunt , non tam quidem ut de iis
supplicium sumerent , qui legem , tametsi perniciosaam ,
nequedum tamen ad Senatum tulerant , poterantque per
se ab ea re desistere , quam ut reliqui etiam cives ab
eiusmodi quicquam in posterum cogitandi consilio similis
timore pœnæ duorum civium exemplo absterrerentur .

*Laurentii
Medices
obitus V. id.
april. &
Innocentii
Pontificis.
VIII. kal.
aug.
Alexander
VI. Pontif.
III. id.
aug.*

Eiusdem anni vere Laurentius Medices Florentinus ,
excellenti vir ingenio , qui principatum in sua civitate
obtinebat , vita functus est . æstate media Innocentius . Il-
le tres reliquit liberos , qui oinnes brevi tempore & prin-
cipatu & civitate ejecti , exulatum abierunt . Hujus lo-
cum Alexander Borgia Valentinus , opibus & largitione
nixus tenuit . atque hoc plane tempore civitas prope quie-
vit . Insequente autem jam in ver progresso anno , ut fir-
matis inter se trium maximarum Italij civitatum rebus
tempora etiam pacatiora fierent , ab Alexandro Pontifice
Maximo & Venetis , & Joanne Galeatio adolescente re-
gnum in Mediolanensibus obtainente , auctore Ludovico
patruo , qui civitati ejus nomine præterat , fœdus in **XXV.**
annos percussum , atque uno eodemque die ab singulis
concelebratum est : quo quisque fœdere ad reliquorum so-
ciorum ditiones defendendas , hostesque propulsandos te-
neretur . Et quod erat ea tempestate Romæ Giemes Sul-
tanus , Bajasetis regis frater , homo magni inter suos no-
minis , qui ab eo armis regno pulsus Rhodum confuge-
rat : Rhodii , ne bellum in se converterent , eum ad re-
gem Galliæ , rex ad Innocentium rogatu ejus miserat :
itaque is ab Alexandro adhibitis custodibus asservabatur ,
cum ne fratri renovare bellum posset , cuius rei causa
quadringtonæ ab eo auri libræ quotannis Pontifici depen-
debantur , Romamque mittebantur : tum ut eo nomine
Bajasetem a bello Christianis inferendo absterreret . Est in
fœdere additum , ut si Veneti armis a Bajasete lacesse-
rentur , Alexander eis Giemem traderet , cuius auctoritate
atque gratia contra illum uti possent . Ei fœderi Hercu-
les